

(*Amos*, III, 5.) Putabamus nobis et Bernoni convenire in recipienda allegorica generationum consonantia; sed dissonantia primæ Martii et ultimæ Decembris hebdomadæ nos ab illa convenientia advocat. At de numero XIV hebdomadarum nobis et Bernoni convenit, quas etiam nos recipientes, ambulamus quidem simul eadem via, sed non ubique per eadem vestigia. Bernone enim sex diebus præcurrente, non a Sabbato jejunii cum eo, sed semper a Kalendis Martii ingredimur viam numerandi XII hebdomadas, easque ut et vos distinguimus per tres tesserescedecades; sed in prima tesserescedecadarum statutis jejuniorum hebdomadis prima scilicet Martii, secunda Junii, tertia Septembris, quarta Decembris. Sex autem dies qui supersunt, nihil ad distinguenda jejuniorum interstitia obsunt. Hoc extra interrogationem vestram adjeci,

A ut tollatur a vobis nota inconvenientiæ, quam priores vestræ litteræ imposuerunt nobis. Quod intrante Martio in VI vel VII feria uno anno jejunium Junii, altero anno jejunium Septembris in XV hebdomadam celebramus. Ut salva gratia vestra dicamus, nos secundum tenorem vestræ, non nostræ regulæ vestro præjudicio urgentes. Ecce videtis quæ sit causa mutæ dissonantiæ, sex scilicet dies a Bernone Martio subtracti, et quia tropum synecdoche vel dies temporum in jejuniis temporum non admittitis, quis nescit in quantis locis Scriptura vacillet, nisi a tropo synecdoche sustentetur? Non surrexit Christus a mortuis, nisi tropum synecdoche recipiamus. Vos qui gratia Dei divites estis in illo, in omni verbo, et in omni scientia, confirmet Deus usque ad finem sine crimine. Valet.

SIGEBERTI

EPISTOLA AD LEODIENSES

(MARTEN. A. C. I, 587.)

Roberto, Flandriæ comiti, ex bello sacro anno 1101 reverso, Paschalis papa litteras scripsit quibus illum hortatur ut Leodienses schismaticos, Henrico imperatoris adhærentes, ab Ecclesia expellat. Sententiam pontificiam impugnat Sigebertus in epistola ad Leodienses missa, quam, propter infensorem, quo in sanctam sedem, invehitur, animum, dare supersedimus. Exstat in tomis Conciliorum Labbei (X, 630), sine auctoris nomine, cum hoc titulo: « Responsoria Declamatio acerrima Leodiensium schismaticorum, qui, more suorum comparum in schismate Donatistarum adversus principes resiliunt, et catholicum nomen affectantium, suam Declamationem sic inscripserunt: Epistola Leodiensium adversus Paschalem papam. » EDITOR PATROLOGIÆ.

SIGEBERTI

EPISTOLA ADVERSUS LAICORUM IN PRESBYTEROS CONJUGATOS CALUMNIAM.

(MARTEN., *Thes.* I, 250.)

Hæc epistola scripta videtur occasione censuræ Gregorii VII papæ, qui ut incontinentes sacerdotes ad sanam mentem revocaret, vetuit ne quis fidelium eorum missas audiret, multo minus ne ecclesiastica sacramenta reciperet. Quam sententiam dum impugnare conatur noster, non uno in loco minus recte sentit. Et hoc quoque opusculum omittendum duximus. EDIT.

SIGEBERTI

Responsio ad epistolam Hildebrandi quam scripsit ad Herimannum Metensem in potestatis regiæ calumniam

Vide supra, in *Prolegomenis*, col. 16, notam 40.

FRAGMENTUM RHYTHMI DE S. LUCIA

AUCTORE SIGEBERTO

(Apud MABILL. *Annal. Bened.*, tom. IV, pag. 572.)

Ad monasterium Linburgense, in dioecesi Spirensi, anno 1042 translatae sunt sanctæ Lucie virginis et martyris reliquiæ, Heinrico imperatori, Conradi Salici filio, dono datae a Theoderico Mettensi episcopo,